Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2489
Quelle:
Copyright:

ta o fili precepta magistri &c. et ad calcem Elenchus Capitulorum omissorum, quae videlicet ad Novitios et Subjectos minus pertinent.

Fol. 39. eodem modo praemittitur: *Nota quod in subscriptis continentur statuta ordinis fratrum Celestinorum incipiendo a capitulo XIIII. usque ad finem* &c. Priora Capita ob eandem rationem omissa sunt. Sequitur Elenchus, et *Incipit prologus super statuta secundum ordinem fratrum Celestinorum. Homo ad similitudinem dei factus illi se debet in sui nouitate spiritus reformare* &c. Capitulum ult. est *de penis et remissionibus*, sed scriptor laborem abrupisse videtur. Ceterum Εγχειρίδια haec sunt, quod *Jesuitis* Regulae *Summarii* et *Communes* fuere, et primum quidem habetur *Cod. Regularum Lucae Holstenii* aucto a *Mariano Brockie* O. S. B. T. I. P. 2. edit. *Aug. Vindel.* 1759. p. 113. f. Alterum autem in tota illa Collectione VI. Tomis constante non comparet; quae enim ibi T. IV. p. 476. leguntur *Constitutiones Coelestinorum* prorsus diversae sunt, neque, an alibi impressa sint, quae Codex *Statuta* vocat, novi. Ordinem porro *Coelestinorum* Congregationem esse Hominum Institutum Benedictinum professorum conditam Sec. XIII. a *Petro de Murrone*, qui postea *Coelestinus* V. Pont. Rom. fuit, norunt Historiae ecclesiasticae cultores. Num e tot religiosorum Ordinum reformationibus et subdivisionibus Ecclesia hac *circumdata varietate* multum splendoris acceperit, pacique et exemplo publico ample consultum fuerit, non est hic discutiendi locus.

Folio *Codici* praetexto inscripta est pereleganti manu Professionis religiosae Formula, qua se *Frater Benedictus chramer de Grünenbergk Sacerdos wratislauien. dioc.* anno 1498. in manus *Fratris Andree de freynstat prioris* devovet *monasterio Sanctispritus Montis paracliti de Oywin*, quod Monasterium *Lusatiae* prope *Zittaviam* prima fuit *Coelestinorum* in Septentrione colonia ex *Italia* deducta a *Carolo* IV. Imp. post Sec. XIV. medium. Ejus fata e Scriptoribus collecta habes in magno *Lexico universali* T. XXV. p. 2570. *Codicem* inde ad nos venisse, pronum est.

DCLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 17. 4. est: *Oratio domini Joannis tritemij abbatis spanhemensis habita in capitulo annali: kl. septembris. Anno domini*: 1499. Initium: *Quociensçunque ad peragendam hanc synodum vos conuenisse patres reuerendi contueor: tociens noua quadam et incredibili mentis leticia perfundor* &c. Minuit tamen hanc laetitiam, quod sequitur: *Nonne septuaginta quinque ordinis nostri* (Benedictini) *pastores ad huius synodi celebracionem vocati sunt? Et nunc XL. vbi sunt? Quare non venerunt? Putasne omnium cause absentium tanquam legittime admittende sunt?* 614

 Vereor